

des indurare videmus. Quare in eorum fractio-  
ne necessarius est calor suavis, & non ita fortis, in  
quo sit humiditas aliqua, comparando calori, qui  
indurauit lapides, & cum subtilitate.

Tandem facultates quædam sunt à partibus  
corporis denominatæ, ut Cephalica, Ophthal-  
mica, Pleuritica, Colica, Stomachica, Hepatica,  
Splenica, Nephritica, Cystica, Hysterica, Arthriti-  
ca. Hæc ad medicamenta, quæ per quartā faculta-  
tem agunt, referenda esse aliqui volunt: eo quod  
in proprium aliquod membrum aut humorem a-  
gant. Verum cum Galeno t statuimus, medica-  
menta hæc talia non esse, vt tantum vni prosint,  
alteri vero nihil: nec talia esse, vt omnibus partis  
affectionibus congruant: sed talia dici, quoniam fre-  
quentissime aut maxime in eam partem, à qua  
nomen sunt mutuata, agant. Declarat hoc Gale-  
nus exemplo medicamenti ophthalmici, vt est  
collyrium diarthodon & diapompholygos: hoc v-  
timur in oculorum affectionibus, & tamen ut etiam  
licet in aliis, vt affectionibus aurium, narium, oris,  
pudendi & ani, non tamen ita frequenter, neque  
tanto cum fructu.

### *De Medicamentis quartæ facultatis.*

#### C A P. X.

a 5. coll. 21. **Q**uartæ facultates sequuntur, quæ secundum  
Auerroen & non operantur per primam, se-  
condam & tertiam virtutem, sed per proprieta-  
tem, quam Medici totam substantiam nominant;  
vel